DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE

3

Iis quae ad Sanitatem conſervandam plurimum conferre videntur.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CHRISTOPHERUS STANGER,

ANGLUS.

Soc. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

C Gr

Juveni Ornatiſſimo,

FREDERICO FLETCHER VANE,

ARMIGERO,

Qui, uti ſperat, amicis deliciis,

Patriaeque honori eſſe,

Diu perget.

Hanc diſſertatiunculam

D. D. Cq.

AUCTOR.

Dr. Wilkinson
from his h.ble Serv.t
R. Tanger.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Iis quae ad Sanitatem conſervandam plurimum conferre videntur.

HOMO, caeteris animalibus, quae hoc in orbe terrarum creanda divina rerum origo curavit, haud dubie longe praeſtat. Omni voluptatis fonte, qui reliquis animalibus patet, fruitur, et viribus corporis, animique virtutibus, quae et ea et omnia fere, quae natura fert, magna ex parte ei obedientia reddunt, inſignitur. Fruſtra vero tot et tanta commoda poſſidet, niſi, ut ea exercere et adhibere poſſit, facit bona

 valetudo.

valetudo. Mortales autem, quotquot ſunt, valetudinem commodam pro ſumma vitae felicitate habent, et pleriſque quidem, ſi velint, licet ea frui. Ii etiam, qui debilitatem corpoream natalem et ingenitam, vel ad morbos, a labe haereditaria pendentes, proclivitatem habent, et illam pro firmitate mutare, et hanc emendare ſaepe poſſunt.

Putares nihil aliud fore neceſſarium, quam rationes ſanitatis tuendae maxime probabiles monſtrare, et neminem eas, utpote quae eſſent ſummi momenti, eſſe neglecturum. Quam felix et ab omni fere parte beatum foret genus humanum, ſi res ita ſeſe haberent! Omni voluptate, quam natura recipit, frueremur; ad ultimas vitae limites praeſcriptos pro certo perveniremus, et eam cum morte commutaremus, doloris expertes. Caeterum, tanta eſt noſtra ſtultitia, ut praecepta naturae et rationis, et ea quae experientia vera eſſe teſtetur, neglectui habeamus; ut, cum vita fragili et laborioſa colluctemur, hiſce fontibus doloris, morbi mortiſque haud evitandis obſiſtere

minime

minime valentes, qui nullos in animalia imperio naturae ſolius ſubdita effectus edunt; et ut ne unus quidem ex mille mortalium ſenio conficiatur. Cum haec mala a virium, quibus praediti ſumus, incultis et negligentia proficiſcantur, cumque homo et alia animalia his tantum, quando ab inſtinctu naturae deflectitur, objiciantur, ambigere non poſſumus, quin a natura humana ex toto revera disjungantur, et facile, ſi diligentia adhibeatur, poſſint vitari. Status autem medicinae fallax et incertus, quae vix ullo in caſu certam curationem, et in multis nullam omnino promittit, non ſinit, ut multum in ea fiduciae, ſi morbus ulla ratione poſſit vitari, collocemus.

In rationem igitur ſanitatis conſervandae inquirere ſummi momenti ſit oportet. Argumentum vero longe lateque patens, natura diſſertatiunculae hujuſmodi, et alia quibus diſtringor, negotia, cur materiam minus longe, quam haud dubie meretur, perſequar, in cauſa ſunt, et ut eam leviter tantum attingam faciunt.

Omnis

Omnis ſyſtematis mutatio ab aliqua cauſa oriatur neceſſe eſt. Igitur primum conſiderandae ſunt cauſae morborum praecipuae remotae, vel excitantes.

ALIMENTA.

Cum mortalium corpora ex alimento, quod capiunt, plane conflentur, ſanitas dotibus, quae ei inſunt, laedatur vel conſervetur oportet. Conſtitutio corporea per id ex toto poteſt mutari, quod evidenter indicat quam magni momenti ſit ſummam ejus rationem ſemper habere. Genus humanum per omnia, quae elapſa ſunt, ſecula, quaſi conſenſu communi, cibum animalem, aeque ac vegetabilem, conſtanter adhibuit; quod, argumentis quae a ſtructura corporis poſſunt deduci omiſſis, hunc morem a conſiliis naturae non alienum eſſe clare perſpicueque teſtatur. Alimenta inter ſeſe duabus rationibus differunt, prout ad naturam humorum

morum noſtrorum jam adeo accedunt, ut ſolutionem et miſturam tantum deſiderent, quod in cibo animali; vel prout exquiſitiorem proceſſum prius requirunt, quam in chylum abſorptioni idoneum verti poſſunt, ut in vegetabili incidit. Omne alimentum a regno vegetabili primum deducitur. Admodum probabile omnem, quae naſcitur, herbam alicui animali cibum praebere; ſed, ut mortales earum delectum habeant, omnino neceſſarium. Quae mites, blandae, et ſapori gratae ſunt, eae optimum ſuppeditant alimentum. Acres vero, amarae, et nauſeoſae plerumque alienae. Linnaeus igitur non ſine ratione graviſſima notavit, 'inſipida et 'inodora nutrire, ſapidiora non nutrire.' Quicquid in ſyſtema corporeum potenter agit, id pro cibo idoneo nequit haberi. Vegetabilia, quae partibus ſaccharinis, oleoſis, et mucilaginoſis abundant, hominibus plurimum nutrimenti ſufficiunt. Hinc farinacea, in omni fere orbis terrarum parte, tantam cibi humani partem conſtituunt. Fructus, praeſertim acido-dulces, maturi et

modice

modice ſumpti, inſigniter ſalutares. Calorem imminuunt, proclivitati ad putredinem occurrunt, ſitim reſtinguunt, et appetitum excitant. Nimis vero liberaliter adhibiti, fermenteſcere, acorem in ventriculo generare, et ſyſtema pluſquam ſatis refrigerare, periclitantur. Hinc diarrhoeam, colicam, choleram, morboſque hiſce non abſimiles, excitant. Inter medicos fuit certatum, utrum fructus, ventriculo vacuo, vel una cum aliis alimentis debeant aſſumi ; parum vero refert, niſi quantitate peccetur.

Legumina, et ea vegetabilia, quae oleo abundant, nutrimen copioſius praebent ; cum vero textura ſint firmiora, aegriuſque ſolvantur, difficilius concoquuntur, et validis duriſque optime conveniunt.

Vegetabilia haud dubie nutrimentum ſaluberrimum ſuppeditant, et partem alimenti humani longe maximam conſtituere debent. Caeterum, niſi cibus animalis iis adjungatur, ad homines robuſtos et valentes reddendos et ſervandos non videntur ſufficere. Vix ullos, qui vegetabilibus ſolis vivunt,

reperias. Qui vero ita faciunt, ii plerumque debiles, valetudinarii, macilenti. Quae caro ſaluberrima, ea ſine dubio eorum animalium propria eſt, quae vegetabilia ſola paſcuntur, aëre puro, et libertate, quae illis naturalis, fruuntur. Animalia, quae pinguioribus aluntur, qualia ſunt ſues, anates, boves qui ſtabulis clauſi tenentur, aves ſaginatae, &c. nec tam facile coquuntur, nec nutrimentum tam ſalubre hominibus ſufficiunt. Caro quoque animalium, quae morbis laborant, et eorum, quae ſenio extinguuntur, admodum inſalubris et periculoſa ſit oportet. Non defuerunt, qui ea animalia, quae canes venatici ante mortem exagitaverunt, parum ſalubria eſſe aſſeruerunt; ſed hanc opinionem confirmare non videtur experientia. Caro animalium non diu, poſtquam jugulata ſunt, ſervari debet; quoniam brevi poſt mortem ad putredinem nimis vergit, niſi huic ſal vel alia condimenta occurrant, quod cito parum aptam, quae edatur, efficit. Cibus animalis, qui ex toto fere in ſanguinem et ſuccum verti

poteſt,

poteſt, nutrimentum copioſiſſimum praebet, et ob naturam alkaleſcentem ſyſtemati ſtimulo non parva eſt. Immodice ſumptus, obeſitatem, plenitudinem, torporem, lethargum, et morbos comatoſos, progignit, et proclivitatem ad ſcorbutum alioſque morbos putridos facit. Difficilis cibi ſolutio non tantum a firmitate texturae, quantum ab humoribus viſcidis, pendere videtur. Hinc animalia juniora ſaepe concoctu magis difficilia, quam aetate provectiora, et, eandem ob cauſam, piſces non raro aegre coquuntur. Cibus ſine arte et modo quam maxime ſimplice paretur. Condimenta omnigena, dapes plus ſatis numeroſae, omnia ſtimulantia et appetitum excitantia, nihil aliud quam concoctrices degravant poteſtates, ventriculum et inteſtina debilitant, et dyſpepſiam, cum malis, quae eam comitantur, nimis multis progenerant. Voracitas, quanquam plurima ſecum mala adducit, minus celeriter minuſque certo periculoſa, quam abſtinentia nimia. Supplementum cibi recentis et ſalubris continuum ad detrimentum,

mentum, quod corpus ſingulis horis capit, penſandum omnino neceſſarium; etenim ſine hoc brevi extingueretur. Quantum ad quantitatem cibi attinet, natura haud dubie nunquam voluit, ut ei modum pondere aut menſura adhiberent mortales. Temperantia eſt unica regula cujus ratio habenda. Raro quidem peccabitur quantitate, ſi cibo ſimplice, ſine arte cocto et provocantibus deſtituto, noſmetipſos circumſcribemus.

POTUS.

Hic ad humores corpori ſufficiendos neceſſarius, concoctionem promovet, ut ventriculus citius depleatur facit, in chylo a maſſa alimentaria ſeparando, et in eodem lymphae admiſcendo, adjuvat. Maſſam humorum augendo ſecretionem et excretionem promovet. Omnium liquorum, quos adhibemus, baſis eſt aqua, partem cibi ſolidi non parvam conſtituit, et in eo parando ſaepiſſime adhibetur. Delectus ejus igitur,

utpote quae ſummi momenti ſit, caute et diligenter habendus. Quandocunque de ejus ſalubritate ambigi poteſt, per analyſin accuratiſſimam examinanda. Quae ſaporis vel odoris expers, levis, pura, et extraneis quibuſlibet libera, ea optima.

Liquores fermentati, ob jucundos et varios, quos praebent, ſapores, et gratum, quo ſyſtema afficiunt, ſtimulum, in uſu ſemper erunt, et rite parati, viribus modici, et non nimis liberaliter adhibiti, admodum ſalubres eſſe reperientur. Sitim ſedant, et odore ſtimuloque gratis actionem ventriculi movent, et ſecretionem ſalivae et ſucci gaſtrici adaugent. Cibum viſcidum attenuant, acrimoniae alkaleſcenti obſiſtunt, organa ſecernentia et excernentia ſtimulant. Quin etiam non parvam alimenti quantitatem continent. Incolis regionum ad ſeptentrionem vergentium, et iis, qui cibo victitant animali, optime conveniunt. Fortiores, frequenter et immodice ſumpti, origo morborum ſaepe evadunt, vires concoctrices imminuunt, ſyſtema inflammant, animos

contriſtant,

contriſtant, valentiſſima corpora ſolvunt, non raro mortem ſubitaneam, et pro certo tardam, facientes. Potio ſit ſemper frigida. Liquores gelidi ventriculum firmant, tonum ſyſtemati univerſo intendunt, actionem vaſculorum ſuperficiei excitant, et perſpirationem adaugent. Calidi vero effectus omnino contrarios edunt, ſolida relaxant, et tonum totius ſyſtematis imminuunt, debilitatem et irritabilitatem faciunt, et haud dubie fons et origo praecipua ſunt, unde mala, quae tot mortales hodie infeſtant, nervoſa et dyſpeptica proficiſcuntur.

EXERCITATIO.

Hominem huic a natura eſſe deſtinatum a ſitu, quem hoc in orbe terrarum habet, a ſtructura corporea, eoque motus amore, qui maturrime ſemet oſtendit, eumque tantopere inflammat, clare evidenterque conſtat. Exercitatio autem ſolida firmat, ſecretiones et

et excretiones promovet, appetentiam cibi auget, ſomnum comparat, humores attenuat, vires animi intendit, tonum ſyſtemati plenum conciliat, et valetudinem commodiſſimam, qua nullum animal ſine ea poteſt frui, et ſuppeditat et conſervat. Neminem poteſt latere, partes corporis ſingulares, quae magis quam reliquae exercitantur, plus virium, pro rata ratione, ſibi acquirere, ut in brachiis fabri, cruribus bajuli, caeteriſque videre eſt. Animi vigorem non minus adauget exercitatio. Quo magis univerſa eſt, eo utilior; igitur et genere et gradu varianda. Ambulatio, curſus, ſaltus, equitatio, vocis contentio, &c. cum tempeſtas patitur, ſub dio ſemper adhibenda. Cum ne haec fiant coelum cavet, multae ſunt exercitationes domeſticae et oblectamenta, quae in locum horum cum commodo ſubſtitui poſſunt, qualia ſunt gladiatura, ſaltatio, hiſque ſimilia. Exercitatio optime ante cibum, praeſertim horis matutinis, adhibetur, dum corpus viget, dum animi vividi, dum aër purus. Semper citra

defatigationem

defatigationem ſit, nec, antequam vires corporeae refectae, repetatur. Nimia tantum abeſt, ut corpus firmet, ut, contra, idem debilitet, et vitam breviorem, non longiorem, efficiat. Magnopere dolendum eſt, mala, quae a vita ſedentaria proficiſcuntur, in eos, qui reliquis mortalibus ſcientia longe praeſtant, literis deditos nempe, et ſtudioſos, qui in vero inveſtigando aliiſque docendis occupantur, tam frequenter invadere. His et omnibus aliis, qui vitam agunt ſedentariam, ſuadeo, ut ad lavationem frigidam frequenter decurrant, quae ſolida firmat, actionem totius ſyſtematis vaſculoſi excitat, et exercitationis vicem optime ſupplet, quoniam eoſdem tempore breviſſimo effectus aliqua ex parte edit.

A E R.

Experimenta, in quibus ſumma fiducia poteſt collocari, ſupplementum aëris puri et

et recentis continuum ad vitam alendam et ſuſtentandam eſſe neceſſarium, demonſtrarunt. Aër, inter reſpirandum, vel aliquo principio ſalutari privatur, vel aliquo nocivo corrumpitur, quod ut animalibus ſpirantibus veneno ſit facit. Qui aër ſiccus, elaſticus, frigidus, potius quam calidus, et ab omnibus inquinamentis liber, maxime ſalutaris eſt. In morem aquae agitetur neceſſe eſt; ſtagnando enim inſalubris evadit. Hinc loca, ubi domus aedificantur, editiora eſſe debent, ad quae aër libere adſpirat. Conclavia omnia, praeſertim cubicula, ſint ſpatioſa et vento pervia. Quinetiam templa, curiae, academiae, aliaque loca, quo multi conveniunt, quam maxime laxa eſſe debent. Aëri impuro potiſſimum referendi ſunt morbi graviſſimi, qui tot millia incolarum magnorum oppidorum rapere conſuerunt, quae hanc ob cauſam generis humani ſepulchra non immerito fuerunt appellata. Qui aër urbibus magnis circumdatur, is nihil aliud eſt quam maſſa corrupta fluitans, vapores peſtiferi collecti, per

reſpirationem

reſpirationem et focos dotibus vitalibus privati, exhalationibus putridis, fumo, ſulphure, aliiſque effluviis nocivis innumeris, polluti et vitiati. Infantibus et pueris inſigniter nocet impuritas aëria. Pulmones eorum tenerrimi, ab irritatione etiam leviſſima, detrimentum non parvum capiunt. Si pueros, qui in oppidis tolluntur, cum progenie ruſticulorum ſana et valente comparaveris, eos, in morem plantarum quae ſub atmoſphaera vaporarii creſcunt, ſemper valetudinarios debileſque eſſe reperies.

Aër calefactus ſolida relaxat et expandit, humores rarefacit, circuitum ſanguinis accelerat, ſecretiones auget acreſque reddit. Irritabilitati favet, et corpus ad putredinem proclive efficit. Frigidus, contra, aër fibras animales durat, molem corporis et ſecretionem imminuit, et ſenſilitati morbidae occurrit. Quantum vires et animi et corporis ſpectat, eas haud dubie perfectiſſimas regionibus in temperatis habent mortales.

Nihil valetudini magis inimicum quam aër humidus. Corpus relaxat, et vires ei, utcunque

utcunque ſit valens, gradatim convellit. Perſpirationem potiſſimum imminuit, et per abſorbentia ingreſſus poteſtates degravat vitales; unde proficiſcuntur phthiſis, ſcrophula, hydrops, aſthma, et innumeri alii morbi, qui plagas humidiores graviter infeſtare conſuerunt. Pernicioſior etiam evadit, ſi calor ei adjungatur, et morbos epidemicos non raro movet. A variis caloris et humiditatis conjunctionibus potiſſimum deducendi ſunt morbi, qui tempeſtatibus anni diverſis ſemet oſtendunt. Licet vero hae cauſae eae ſint, quarum operationem et ſequelas nec arcere, nec ſemper vitare poſſimus; effectibus tamen earum magna ex parte occurrere opis eſt noſtrae. Corpori, niſi arte fuerit debilitatum, non multum injuriae mala, quibus patet, naturalia ſolent inferre.

Praeter haſce aëris conditiones evidentiores, unde, ut a cauſis remotis, morbi frequenter oriuntur, ſaepe inquinamentis, quae morbos funeſtiſſimos excitant, quanquam aciem accuratiſſimi philoſophi fugiunt, o-

neratur.

neratur. Ex hiſce autem praecipua nominantur contagia et miaſmata.

Contagia ſunt venena, quae a corpore humano morbido oriuntur, quaeque forſitan nonnullis in exemplis ab eodem ex toto ſano, ſi effluvia ejus accumulentur, poſſunt generari. Hoc vero genus humanum multo tutius, quam alioquin forent, efficit, quod contagio a fonte ſuo non longe ſeſe diffundit, quodque frequenter cum ſeſe effectibus brevi prodat, vitari poteſt. Notare operae pretium eſt actionem ejus multo potentiorem et periculoſiorem eſſe, cum in iis, quae prope aegrotantem fuerunt, ut in veſtimentis, ſtragulis, lectis, caeteriſque ſimilibus, accumulatur. Cavendum eſt, quantum officia humanitatis et munera, quibus noſtrum eſt fungi, patiuntur, ne ullum cum iis, qui morbis contagioſis laborant, commercium habeamus. Si ut illis adſimus omnino neceſſarium eſt, ſumma cura et diligentia vitanda ſunt aegrotantium anima et aër illis proximus. Poteſtas contagionis aëre ad homines reſve infectas

adſpirare permiſſo, ſummam munditiarum rationem habendo, vaporibus aceti, nicotianae fumi, et aliorum, quae fermentationi obſiſtere valent, imminui poteſt. Effectibus ejus reſiſtere poterimus, ſi diaetam generoſam, vinum modice, corticem Peruvianum, balneum frigidum, et ea quae corpus roborant, animoſque demiſſos erigunt, adhibebimus.

Non dubitandum eſſe videtur miaſmata in locis paludoſis ſolis progenerari, et ſitus hujuſcemodi vitando morbos, quos excitant, poſſe vitari. Quae in contagionem poſſe ſupra diximus, eadem ut corpus miaſmatis poſſit obſiſtere facient.

Saepiſſime proficiſcitur contagio a carceribus, noſocomiis, ſepulchretis, ſimilibuſque, quae in medio magnarum urbium, ubi atmoſphaera adeo corrupta eſt, ut ortui ejus et progreſſui ulteriori facile faveat, parum prudenter collocantur.

AFFECTUS ANIMI.

Commercium tam arctum corpus inter et animum intercedit, ut illud ſine hoc, et vice verſa, vix affici poſſit. Fontes actionum humanarum ſoli ſunt. Sine illis homo nihil aliud quam iners merumque vegetabile foret. Nimii tantum valetudini nocent. Eos igitur regere et compeſcere rationis eſt.

Affectus, quantum ad effectus, quos in corpus edunt, attinet, duplices ſunt, vel excitantes vel deprimentes. Illis annumeranda ſunt ira, amor, gaudium, ſpes ; his metus, dolor, deſperatio, et nonnulli alii. Excitantes circuitum promovent, actionem tonumque ſyſtematis vaſculoſi intendunt, humores tenuiores efficiunt, et ſecretionem adaugent. Si vero iis praeter modum indulgeatur, periculum nonnunquam habent. Ira violenta, circuitum ſanguinis accelerando, curſumque ejuſdem nimium caput verſus faciendo,

faciendo, non raro haemorrhagias, apoplexiam, ſtricturas ſpaſmodicas, mortemque ſubitaneam, mortalibus intulit. Multa exempla non deſunt, ubi gaudium repentinum exitio fuit, quod forſitan per incitationem ſyſtematis nervoſi ſubitam, et, quam ferre poteſt, majorem, vel per collapſum hanc excipientem, qui ſemper incitationi pro rata ratione reſpondet, exponi poteſt. Cum vero limitibus juſtis continentur, admodum ſalutares ſunt. Circuitum ſanguinis expediunt, ſyſtema nervoſum leniter agitant, idemque ſtimulo grato afficiunt, et ut motibus ſuis diverſis cum facilitate et quaſi cum alacritate fungatur faciunt. Concoctio, ſecretio, omneſque functiones naturales, cum inſigni facilitate conſtantiaque peraguntur, dum animus a curis vacat, et affectibus non ingratis movetur.

Quantum affectus animum contriſtantes ſpectat, licet non multa exempla ſint reperiunda, ubi ſubito funeſti evaſerunt; haud dubie tamen valetudini commodae non minus ſunt inimici. Tardo et ſilente gradu pro-

progrediuntur; ſed multa et magna mala ſecum frequenter adducunt. Dolor actionem ſyſtematis nervoſi imminuit, ſolida relaxat, et corpori univerſo ſummam debilitatem gradatim infert. Functiones perturbantur naturales, ſecretiones imminuuntur, appetitus perditur, ſomnus arcetur, poteſtates concoctrices potiſſimum debilitantur, et magna malorum dyſpepticorum caterva accedit. Dolorem quoque ſubſequuntur omnes, qui a debilitate et obſtructione pendent, morbi, quales ſunt cachexia, hydrops, maraſmus, ſyncope. Timor eoſdem fere effectus, ſed celerius edit. Caeterum, ob quod generi humano non gratulari non poſſum, magis fugaces ſunt. Tota corporis fabrica ſubito relaxatur, et actio cordis minuitur, unde ſanguis in vaſis majoribus accumulatur. Hinc proficiſcuntur pallor corporis extremi, palpitationes cordis, ſpiritus difficilis, et univerſi ſyſtematis tremores. Mens non amplius muneribus ſuis fungi poteſt, totumque ſyſtema corporeum perturbatur. Quamvis raro, cum breve in ſpatium

tium

tium tantum manere ſoleat, evidenter nocet, pernicioſiſſimos tamen, ſi ſaepe repetat, diuve continuetur, edit effectus.

Qui affectibus ſuis imperare nequeunt, dum imbecillitatem animi clare demonſtrant, ab effectibus eorum detrimentum capere conſtanter periclitantur; etenim, prout male vel bene reguntur, vel felicitatis miſeriaeve, vel ſanitatis morbive fontes evadunt. Æquilibrium quoddam inter affectus diverſos intercedit. Igitur, cum quilibet nimis diu dominatus eſt, alius, qui ei adverſetur, omnino contrarius movendus. Affectus, qui animum erigunt, notionibus laetificis indulgendo, ſcientiis non ingratis attendendo, domos hilarium et vividorum frequentando, et ea quae vitam jucundam reddunt perſequendo, movere conandum. Mens notiones ſuas conſtanter mutat, et novis oblectatur. Igitur, cum nimiam alicui rei attentionem impendit, eam inde ad alia abſtrahere, et in aliquo etiam ſuſcepto arduo difficilique occupare, pro virili contendamus.

SECRE-

SECRETIO.

Humores varii a ſanguine ſecernuntur, quorum alii conſiliis in ſyſtemate utilibus inſerviunt, alii vel ſupervacaneis vel nocivi ſunt, et igitur e corpore expelluntur: Illis accenſenda ſunt ſaliva, liquor gaſtricus, bilis, &c. his materia perſpirabilis, urina, ſtercus. Si illi non parum vel augeantur vel imminuantur, conſilia, quibus deſtinabantur, impediuntur et perturbantur; unde multi proficiſcuntur morbi. Quantum ſenſus guſtus, odoratus, et auditus impediantur, non raro animadvertere licet, ſi ſecretiones, quibus organa hiſce conſiliis deſtinata funguntur, vel magnopere augeantur vel imminuantur. Igitur, quam in ſecretiones poteſtatem habemus, eam caute prudenterque exercere debemus. Uſum nicotianae frequentiorem multa mala ſequuntur, quoniam corpus utilibus et neceſſariis ſecretionibus orbat. Quae mutationes in corpore ſub tempus pubertatis incidunt,

eae quanti momenti ſit ſecretio ſeminalis, quantumque cum toto corpore vigorem communicet tonus organorum genitalium idoneus. Venus modica convenit, et ſaluti eſt, et ei raro nimis indulgebitur, ſi irritamenta quae vis imaginandi prava et vitiata menti objiciat, deſint, et impetui naturae tantum obtemperetur. Semen immodice conſumere ſemper periculoſum, ſaepe funeſtum. Vigorem et corporis et animi ex toto perdit, mortales miſerandum in modum debiles et infirmos efficiens. Maraſmum aliosque morbos, qui a debilitate proficiſcuntur, facit.

Excretiones regere juſtiſque limitibus continere non minus neceſſarium, quoniam imminutae vel auctae ſyſtema perturbant; quod non incidere non poſſe clare videbimus, ſi animum ad naturam earum conſiderandam rite adjungemus. Si in corpore nimis diu manent humores ſecreti, acrimoniam et proclivitatem ad putredinem ſibi comparant, quod admodum periculoſum,

rurſus

rurſus abſorbentur, et brevi exitio eſſe poſſunt.

Perſpirationem ſuppreſſam, quanquam effectus ejus minus manifeſti et periculoſi ſunt, excipiunt multi morbi graviſſimi, catarrhus nempe, phthiſis, hydrops, &c. retenta animum hebetem corpuſque languidum reddit, appetitum et concoctionem imminuit. Acris tandem evadit, et ſyſtema ſtimulat, febrem movet, et impetu quodam pulmones, aliaſque igitur partes, verſus fertur. Sudor repente ſuppreſſus magno et ſaepe ſubito periculo ſtipatur, et igitur caute et diligenter vitandus. Quae cauſae perſpirationem potiſſimum ſupprimunt, eae ſunt frigus, humiditas, inertia, affectus animum contriſtantes, ſordes, et ſimilia, quae unuſquiſque, qui valetudini commodae conſulit, curioſe defugiet.

Urina ſine magno periculo nequit diu retineri. Veſica brevi violenter diſtenditur, et paralyſis vel contractio ſpaſmodica ſphincteris frequenter accedit. Inflammatio, gangraena, vel ruptura incidere poteſt. Si haec

aegrotantem non occidunt, urina per lymphatica abſorbetur, et in cava cerebri aliarumque partium effunditur, et apoplexiam mortemque facit.

Faeces, ſi diu retinentur, acrimonia et putredine inteſtina ſtimulant, et ſtatum corporis febrilem excitant, inflationem, colicam, duritiem alvi pertinacem, ſpaſmos et inflammationem facientes. Omnes hae ſecretiones non parum periculi habent, ſi morbide augentur, quoniam una ſecum humores ad nutrimentum corporis neceſſarios abducunt. Igitur evidens et perſpicuum eſt cavere, ne praeter conſuetudinem retineantur vel augeantur, ad ſanitatem conſervandam non parum conferre.

S O M N U S.

Hic vitae humanae omnino neceſſarius eſt. Quantacunque quiete fruimur, in ſpatium breve tantum poſſumus vigilare. Impreſſiones

preſſiones in ſenſus ſine ullo noſtro labore factae animos exhauriunt et ſenſilitatem imminuunt, donec gradatim ſomnus obrepat. Quanquam, dum ſpiritus excitari poſſunt, omnia pro vi, quam habent, ſtimulante ſomnum arcent. Calor, lux, ſtrepitus, actio animi corporiſve, dolor, vel quaelibet moleſtia, ei obſiſtunt. Tenebrae, contra, ſilentium, ſtimuli omnigeni abſentes, quicquid modice relaxat, venus modica, calor lenis, coenae parcae, &c. eundem inducunt. Plus minuſve ſomni, pro tempore vitae, pro diverſitate conſtitutionis corporeae, et pro conſuetudine priore, erit neceſſarium. Quantum ejus igitur ſit adhibendum, ſenſus noſtri indicabunt. Caeterum, cum ſomnus inertiae ſtatus ſit, tantaque temporis parte nos orbet, mirandum eſt ullum plus vitae in eo, quam quod ad eos rurſus reficiendos ſit neceſſarium, et ſanitas poſtulet, conſumere. Somnus nimius valetudini inimiciſſimus eſt. Mentem hebetem, corpus obeſum languidumque reddit. Fatuitatem, lethargum, apoplexiam, alioſque morbos

morbos comatoſos, movet. Somnus parcior ut et corpus et animus ſuis muneribus fungi nequeat facit, animos exhaurit, vires totumque corpus conſumit. Secretiones brevi impediuntur, concoctio et nutritio imminuuntur, et corpus omnibus morbis, qui a debilitate pendent, opportunum efficitur. Nox evidenter eſt tempus quieti a natura deſtinatum. Vultus eorum pallidi et corpora emaciata, qui ordini naturae adverſantur, et diem in noctem vertunt, effectus hujuſce conſuetudinis perniciosae malos ſatis ſuperque demonſtrant.

VESTITUS.

Uſus veſtimentorum eſt calorem corporeum conſervare. Pro tempeſtate anni, aetate, regione, conſtitutione corporis, varient. Adeo calida ſint, ut corpus ab effectibus frigoris debilitantibus poſſint defendere. Functiones naturales in modico calore optime

me peraguntur. Si calor hunc gradum excedat, corpus debilitat, et omnibus, qui a debilitate et atonia oriuntur, morbis opportunum reddit. Praeſertim ut frigus facile colligat facit. Hinc cubicula calida, tapetes, cubilia mollia, rhedae aëri ex toto fere imperviae, et omnia luxuriae hodiernae inventa, valetudini commodae adeo perniciosa. Veſtimenta non ſint arcta, ſed laxe corpori circumdentur. Preſſura enim circuitui ſanguinis libero adverſatur, ne nutrimentum in omnes partes aequaliter diffundatur cavet, motus diverſos et functiones impedit, et deformitatem non raro facit, infortunium, quod nationes excultae ſolae norunt, quodque a neglectu imprudentiaque noſtris ex toto proficiſcitur.

M U N D I T I A.

Haec autem, ſi nihil omnino ad valetudinem tuendam conferret, per ſe adeo grata eſt,

eſt, et ſocietatis humanae ſolatio adeo neceſſaria, ut mirandum videatur eam neglectui unquam haberi.

Multi e morbis cutaneis, ab hac virtute neglecta, proficiſcuntur, et omnes ejus cultu levantur, et plerique quidem ex toto tolluntur. Ubi multi una degunt, in primis neceſſarium ſummam ejus rationem habere; qnoniam non improbabile eſt, humana effluvia accumulata admodum peſtifera evadere. Hanc ob cauſam, morbos putridos in domibus ſordidis, lociſque arctioribus, ſumma cum pernicie graſſari videmus. Munditie neglecta, animalcula generum diverſorum in partibus corporis diverſis plerumque reperiuntur, quae non tantum parum grata, ſed aliquando nociva. Quanquam immunditia paucos forſitan morbos periculoſos per ſe excitat; ad eos tamen graviores reddendos non parum ſemper confert.

Lavatio frequens non tantum ſordes, quae in cute conſtanter accumulantur, removet, ſed corpus firmat, et perſpirationem adauget.

C O N-

CONSUETUDO.

Haec eſt eadem actio frequenter reiterata, ob ſummam, quam in ea quae facimus, voluptates, ſenſus, et omnia quae oeconomiam animalem ſpectant, habet poteſtatem, attentionem non parvam meretur. Cum quaelibet conſuetudo repetita vim ſibi magnam tandem acquirat, et ſyſtemati imperat, iis, quae perniciei eſſe poſſunt, caute et diligenter occurrendum, et iis ſolis, quae ſaluti indulgendum, praeſertim cum conſuetudines, quae uſu inveteraverint, quanquam manifeſtiſſime nocent, non tantum ſuperatu ſint difficillimae, ſed iis ſine periculo nequeat deſiſti. Ita liquores ſpirituoſi, opium, nicotiana, quanquam ea ſub initium averſamur, felicitati tandem noſtrae conſuetudine prava omnino neceſſaria evadunt. Quinetiam conſuetudo ſenſilitatem imminuit, cujus in tribus modo comprehenſis exemplum luculentum habemus, quod uſum

ſum eorum conſtantem magis periculoſum reddit. Ita Turcae quantitatem opii ſumunt, qua nullum venenum incolenti Europam praeſentius foret. Quaedam aliquando, dum conſuetudo ſuos in corpus effectus edit, naturae contrariae conſociantur, quae ex toto neceſſaria evadunt. Aliquis, exempli gratia, qui prope magnum ſtrepitum dormire inſueverit, tantum abeſt ut aliquid detrimenti inde capiat, ut, contra, in ſomnum procul ab eo in poſterum difficillime illabatur. Agilitatem et vires mirum in modum auget conſuetudo. Affirmatum fuit eum, qui vitulum levare incipit, ſi in eadem conſuetudine ſingulis diebus perſtiterit, eundem quoque plenam tauri magnitudinem ſibi adeptum eſſe levaturum. Vim conſuetudinis inſigniter demonſtrant appetitus, qui ſtatis temporibus ſine ulla alia cauſa redeunt. Idem quoque in ſomno, cujus reditus admodum regularis, et in excretionibus videndum. Uniuſcujuſque fere moris eſt prius urinam, quam cubitum it, reddere, et, ſi hoc per ſpatium diuturnum fecit,

cit, in poſterum ſemper eodem tempore minget, quanquam nullum hujuſcemodi deſiderium eum alioquin invaſiſſet. Idem de alvo evacuanda notari poteſt. Ita hae ſecretiones aliqua ex parte voluntati obedientes redduntur.

Multi ſunt morbi, qui, quanquam ſub initium a cauſis ſingularibus orti ſunt, vi conſuetudinis ſola urgere pergunt.

Haec argumenta ad vim conſuetudinis demonſtrandam ſufficient, et, cum omnis cauſa, pro vi conſtantiaque quibus agit, effectus edat, plane et evidenter oſtendent quam neceſſarium ſit ea, quae noxae eſſe poſſunt, vitare, et ea tantum, quae felicitatem augent, et valetudini non obſunt, perſequenda curare.

Paucis obſervationibus de iis cauſis, quae corpus conſtanter afficiunt, et a quibus rite adminiſtrandis valetudo commoda tantopere pendet, praepoſitis, et nonnullis e praecipuis conditionibus, in quibus morbum faciunt, explicatis, in diſſertatiuncula hujuſmodi non alienum eſſe videretur quaedam de

ſeminiis morborum praeferre, aut iis corporis ipſius conditionibus, quae id morbis opportunum efficiunt. Hoc temperamentorum, ſtadiorum vitae diverſorum, diſcriminis ſexus, pravae conformationis, et ſimilium, explicationem comprehenderet; caeterum, cum haec omnia ſeparatim conſiderare me longe ultra limites diſſertationi hujuſmodi praeſcriptos traheret, paucula tantum de eo ſeminio, quod longe maxime generale eſſe mihi videtur, dicere aggrediar.

Hoc autem eſt ſolidarum animalium fibrarum relaxatio, quae quidem aliis verbis debilitas appellari poteſt, quoniam ſemper una adſunt, et ſibi invicem pro rata ratione reſpondent. Quo magis hae ſemet oſtendunt, eo magis corpus morbis obnoxium eſt, vel eo revera laborat. Hanc opinionem confirmant argumenta ſequentia: Quod homines magis agiles, valentes, et robuſti, ſunt, prout fibras muſculares firmiores et muſculos eminentiores habent. Quod iidem ſemet validiores et agiliores eſſe ſentiunt, dum corpus firmatur, et frigore modico con-

conſtringitur. Quod ii, qui plagas frigidiores tenent, validiores ſunt quam ii, qui calidiores incolunt. Quod viri foeminis valentiores ſunt, et morbis, cum utrique iiſdem cauſis remotis objiciuntur, minus patent. Quod plenitudo et irritabilitas, quae tantam ad morbos proclivitatem dant, ſolida relaxata tantum deſignant. Quod cauſae morborum remotae praecipuae vim relaxantem habent, quales ſunt contagio, miaſmata, calor, humiditas, inertia, triſtitia. Quod corpus plerumque, pro ſua ad mortem proclivitate, relaxatur, quodque mors ipſa manifeſta ſolidorum relaxatione ſtipatur. Quod opinioni communi adverſatur, id aſſerere non dubito, eos nempe morbos, quorum curatio ſanguinis detractionem, et ea quae ſolida relaxant, deſiderat, facilius frequentiuſque in habitu relaxato, quam firmo, ſemet oſtendere. Pro exemplo ſint, catarrhus, pneumonia, rheumatiſmus, et cynanche tonſillaris, quae ſunt haud dubie morbi inflammatorii, quibus ea, quae ſyſtema relaxant, medentur. In punctum, quales ad

hoſce

hoſce morbos maxime proclives ſint nobiſcum reputemus. An ruſticus durus, vel dominus luxurioſus et enervatus, cum eidem coeli gravitati et iiſdem cauſis remotis objiciuntur, catarrho vel affectibus pneumonicis opportunior ? Nonne corpus rheumatiſmo acuto facillime afficitur, cum prius calore relaxatur ; et nonne balneum frigidum partem prophylaxeos utiliſſimam conſtituit ? Cur mulieres cynanche tonſillari minus, quam viri, patent ? Nonne hoc incidit, quod collum pectuſque earum aëri externo magis libere objiciuntur, et veſtitu calido minus relaxantur ?

Ex hiſce argumentis non cogere non poſſum, valetudinem commodam a fibris validis, ſolidiſve firmis, magna ex parte pendere, et eum, cui haec abunde contigerint, minus morbis objectum iri. Conditio autem hujuſmodi corporea tantum conſervari poteſt, animum ad haſce cauſas attendendo, quae in corpus conſtanter agunt, quaeque, prout ei applicantur, ſanitatem conſervant, eandemve perdunt.

Hanc

Hanc diſſertationem ad finem ante perducere non poſſum, quam plane confitear, non parvo mihi fuiſſe dolori, quod materiam tam longe lateque patentem, ut partes ejus diverſas leviter tantum attingere potuerim, ſelegi, quodque prius eo uſque fueram progreſſus, quam hoc incommodum mihi in mentem venit, ut novam mihi aſſumere minime permiſerit temporis anguſtia.

FINIS.